

X186 1214





m
a
N
D
E
pre



357, 10



II f
460

M. AEMILII PORTI,
FRANCISCI PORTI
CRETENSIS F.


Notarii Imperialis,

DE NIHILI ANTIQVITATE,
ET MULTIPlici POTESSTATE TRA-
ctatus.

N U L L I



dedicatus.



Non dubito, quin hoc novum de-
dicationis genus, novam in mul-
torum animis admirationem sit
subito moturum, illorum præci-
pue, qui sua tantum laudare no-
verunt, aliena verò spernere con-
sueverunt. Cur enim (curiosi cu-
riose quærent) cur Portus, qui su-
am schapham variis tempestatum

procul a alto, maximis cum periculis adhuc fluitantem,
A 2 atq;



atq; jaētatam videt, ad proximum atq; tutissimum Herois
Clementissimi Portum rectā cursum dirigens, remis, & velis
appellere veretur? Cur **NULLUM** Optimo, Potentis-
mo, & Clementissimo Principi (sub cujus fortissimo pat-
cinio (favente Deo) vitam rationi consentaneam, & virtu-
congruentem degere statuit) in hac novi Tractatus dedica-
tione, per nescio quā importunā verecundia speciem au-
reposit? Quid ad hęc Portus? Quomodo, quibus verbis
honestè se purgabit? Hujusmodi voces, & querelas accu-
sationum, plenas jam auribus mihi videor audire.

Sed qui Porti mentem, consiliiq; judicium intellexe-
rit, de Porto conqueri statim desinet.

Cū enim Portus in Germaniam primū venit,
NULLUS ipsi cum lectissimo totius Germanicæ Nobili-
tatis flore, tanquam Cæsari, processit obviam. **NULLUS**
ipsum in pulcherrimas, & munitissimas quasque Principum
arces honorificentissimè deduxit, omnesq; thesauros, &
pretiosissimam suppellectilem, & quicquid spectatu dignum
in iis erat, ostendit, & liberam omnia spectandi, contemplan-
di, fruendiq; potestatem ei fecit. **NULLUS** Porto, si-
mulac ejus nomen, ac ad eum pervenit, splendidissima
palatia præparavit, in quibus cum tua familia non solū
habitarēt: sed etiam regiē viveret, atq; perpetuis honesta-
rum deliciarum voluptatibus decenter indulgeret.

Verū Portus, qui nulla vanorum hominum cupidi-
tate flagrat, invidiæ vitandæ causa, quod alii cunctis mortali-
bus ambitiosè prædicari, notumq; fieri cupiunt, id ipse pro-
fundo vult tegi silentio. Quinetjam hæc ipsa, quæ scri-
bit, amicis tantū, idq; secretò scribit, nec in vulgus efferri
cupit. Quia tamen acceptorum beneficiorum et memor,
hęc apud eos animo gratissimoprivatim recenset. **NULL-**
LUS Porto nuper promisit, fore, ut a vita, paterna, a ma-
na

terna bona (quibus per adversæ partis fraudes anno 1572
fraudatus fuit, quæ nunc etjam in Galliis, in Prioratu S. Ger-
mani en L'Aye, Parisiis vicino, à potentioribus occupata
invenitur) recuperaret, & in antiquam, atq; legitimam eo-
rum possessionem tandem aliquando mitteretur. **NUL-**
US eidem Porto per literas significavit, bona, quæ Fran-
ciscus Portus Cretensis, olim in insula Creta Juvenis reliquit,
nunc ab Egenolpho Porto, Comite Vicentino, ne vacua ma-
nerent, & possessore, fructum eorum percepturo, carerent,
per cognationis Jura, per officiosè possideri, Portiq; filium,
qui propter longissimam temporis præscriptionem ea repe-
tere non audebat, omnia, Dominis invitis, à **NEMINE**,
cum legitimo fœnore, brevi recepturum. **NULLUS**
(quis credet?) aureis muneribus Portum quotidie reclaman-
tem, ac repugnantem, onerat, ac honorat. **NULLUS**
(ut **NULLIUS** Persarum Regis erga Portum beneficen-
tia pro meritis prædicetur) **NULLUS** Porto, quidquid
ipsius animus exoptat, & quidquid vitam facit beatiorum
id onine semper antè præstitit, & in posterum semper, ut an-
tè, præstabit. An igitur qui summam felicitatem, quam nun-
quam sperasset, per in finem Dei Clementiam adeptus fue-
rit, is justas, debitasq; gratiarum actiones suorum bonorum
autoribus invidebit? **NULLUS** (ut paucis multa comple-
ctar, finemq; dicendi faciam) Portum omnibus totius orbis
Christiani Principibus adeò commendavit, ut Portus sine
Linguarum interprete (quo non omnibus datum) quoties
NIHIL ab ipso flagitat, id statim impetret, nec ullam repul-
sam ab ipsorum munificentia ferat. Quis igitur his auditis,
ac intellectis, Portum jurè damnabit, quòd **NULLUM**
Persarum Regem, in hac novi tractatus dedicatione ante-
posuerit ^{car} strissimo, Potentissimo & Clementissimo Prin-
cipi, cui Portus & suam, & suorum omnium operam, dili-

gentiam, fidem, obedientiam, reverentiam, & omne pietatis
obsequium, ex animo jam vovit, ac dicavit? Hinc igitur oci-
ùs facessant, si qui sunt, qui per invidiam, Portum apud
præstantissimi Principis Clementiam, suis illaudatis artibus
in odium clam rapere conantur. Portus enim, velint, no-
lint malevoli, licet invidorum illa rumpantur, Portus NUL-
LIUS jussu, Numen divinum precibus assiduis supplici-
ter orabit, ut illius Herois (ad cujus Clementiæ Portum Por-
tus recens appulit) Celsitudinem, ejusq; totam Illustrissi-
mam domum, & Principatum perpetua felicitate munitum
quàm diutissimè conservet. Scriptum Castellis
die Jovis Cal. Junii, anno

1609.



M.A.E.



M. AEMILII PORTI,
FRANCISCI PORTI
CRETENIS F.

Notarii Imperialis,

DE NIHILI ANTIQUITATE,
& multiplici potestate.

TRACTATUS.



Uti rerum multarum, de quibus verba magnificè faciant, copiam semper habent paratam, illi, quoties animus fert, apud Lectores, vel Auditores, ob Eloquentiæ flumina, gloriam immortalem, idq; nullo, vel certè paruo cum labore, sibi conciliant. At quibus omnis deest oratio, quos omnis dicendi materia prorius deficit, quid illi, quid in medium proferre possunt, quod ipsis aliquod non vulgaris doctrinæ decus, & ornamentum ferat? NIHIL. NIHIL igitur divina Sapiencia præstantius, NIHIL cœlesti virtute nobiliter, NIHIL æterna beatitudine gloriosius, ac optabiliter. Quamobrem ego, qui sciens, prudens, & ultrò justissimis tamen, & gravissimis de causis, non sine maturo consilio, pristinas sedes reliqui, novas alibi, D. O. M. Du-
cc,

ce, feliciter (ut spero) fixurus, nullo publico munere im-
peditus, ne temporis jacturam facerem, de **NIHILI** An-
tiquitate, & multiplici potestate præsentem Tractatum, bo-
narum literarum studiosis fortasse non ingratum, nec inu-
lem conscripsi. Sed benevolos Lectores hîc volo rogatos
ne temerarium imperitæ multitudinis judicium, & odiosa
maledicorum crocitationes audiant: at cum omnibus Mo-
mis eos Longum valere, Longumq; flere jubeant. Ad so-
los enim Mystas, & Symmystas, pectore candido præditos,
& Musarum sacris initiatos hæc spectant. Idcirco

„ *Nunc Phæbi Iussu, procul, ô procul este profani.*

„ *Vos verò, quibus ille favet, mysteria lætis*

„ *Auribus accipite, & lætas advertite mentes.*

„ *Ante mare, & terras, & quod tegit
omnia Cœlum,*

„ *NIL erat æthereis, quod spectaretur in oris.*

„ *NIL auro, gemmisq; micans, sublime sedebat*

„ *In solio, quod nulla manus fabricaverat arte*

„ *Mortalis, sceptrum NIHIL immortale gerebat.*

„ *Hoc NIHIL armatum, Leges, & Iura volentes*

„ *Per populos dielabat ovans, & mille per urbes*

„ *NIL incedebat regali veste superbum,*

Quamvis autem hæc ad Antiquitatem **NIHILI**
manifestè probandam, apud æquissimos rerum æstimato-
res fatis esse videantur, ne quis tamen de quævalis, & incre-
dulis eam vel minimum vocet in dubium, alia præter hæc,
inviçta proferemus argumenta. Quum enim Rex ille Re-
gum, & Deorum Deus hanc Mundi totius Universitatem
creare statuisset, quosnam sui consilii participes fecit? Su-
am ante secula condita Sapientiam, & sui Sancti Spiritus po-
tentiam per omnia pervadentem, omnia complectentem,
omnia foventem, & conservantem, cujus amplitudinem,
& vi-

& vires nullus verborum ambitus amplecti potest. Quid
verò præterea Sapientissimus ille rerum opifex, & Creator,
in Consilium adhibuit, quum hoc Universum creare vo-
lit? NIHIL. Nec immeritò. Nam omnia, quæ sunt su-
pra Cœlos, in Cœlis, sub Cœlis, in terra, sub terra, tam ea,
quæ cernuntur, quàm ea, quæ sensum oculorum fugiunt,
omnes Dominationes, omnes Principatus, omnes Potesta-
tes, Imperia, omnia per æternam illam Dei Sapientiam, se-
cundam Sanctæ Trinitatis personam, creata sunt. NIHIL
verò sine illa creatum constat. Quam sententiam, ut verè,
pieq; dicimus, sic etiam verè, pieq; sumendam censemus,
omnem impietatis vel levissimam suspensionem acerrimè da-
mnantes, & obtusas ingeniorum acies ab arcanis legendis
seriò deterrentes, ne propter Bæotium stuporem non dicta
pro dictis accipiant, & sinistras interpretationes imperitis
homuncionibus obtrudant, eorum, quæ miseri propter infi-
tam animis ignorantia caliginem, non bene perceperunt.
Sed, ut rem totam breviter expediam, illud sciendum, Æ-
terno Deo NIHIL antiquius esse. Quia NIHIL creatum,
est ante Deum. Hinc igitur apertè patet, quanta sit NI-
HILI Antiquitas. Jam ad multiplicem NIHILI pote-
statem accedamus. Hic verò dicendi campus adeò spa-
tiosus apparet, ut propemodam infinitus esse videatur. Ne
tamen incerta fluctuet oratio, certis eam finibus circumscri-
bemus, & ad duo præcipua capita referemus, quorum unum,
de rebus divinis, alterum, de rebus humanis, summatim aget.
Sed in his etiam eandem cautionem, de qua supra, diligen-
ter adhibendam monemus, ne quis per imprudentiam, &
non satis accuratam intelligendi rationem, contradicentis,
& scribentis mentem, peccet. O fide majorem NIHILI
potentiam! NIHIL aureo diademate redimitum, trium-
phali vectum vehiculo, per inanes Cœlorum regiones per-
petuò

B

petuò

petuò ferur, oculisq; micantibus coruscans, ignea fulmina
uibrat, spargit, jaculatur, ut Angelos, Deosq; terreat. NI-
HIL (quod salva pietate dictum esto) NIHIL supremo
Deorum Numini confidenter imperat. NIHIL ipsi terr-
rem incutit. Quare, qui nec homines, nec Dæmones, nec
ipsum Deum, qui nec superos, nec inferos, qui nec huma-
nam, nec Dæmoniacam, nec divinam potentiam metu-
unt, illi profectò NIHIL metuunt, illi NIHIL formi-
dant. Vis igitur animum semper intrepidum, semper pa-
catum, nullisq; curarum fluctibus agitatum: Sed assidua læ-
titia perfusum, ac exultantem habere? NIHIL assiduè
cura, NIHIL assiduè formida, NIHIL ante Deum, NI-
HIL præter Deum constanter venerare, suppliciter ado-
rans, & ipsius propitii præsentissimum auxilium implorans.

Quum enim Deus mortalibus est infensus, quum De-
us hominibus bellum implacabile facit, eosq; funditus ever-
tere decrevit, NIHIL ipsos defendit, NIHIL ex formi-
dabilibus Dei manibus ipsos eripit, NIHIL ipsis opem fert
salutarem. Ergo NIHIL Deo potentius.

Quamobrem etiam Deo, rebusq; divinis NIHIL an-
teponendum, si nobis ex animi sententia rem succedere veli-
mus. Sed quæ cœlestia, divinaq; sunt, ab hominibus, pro-
pter cognitionis tenuitatem, minùs commodè percipiun-
tur. Homines enim humana plerunque magis curant, ea-
que faciliùs, utpotè cognata, cognoscunt, atq; sectantur.
Ad hæc igitur nos quoque transeamus, & mirabilem NI-
HILI naturam explicemus, quæ varias in formas mutatur,
ut hominibus sua bona largiatur. Huc igitur cæci veni-
ant, huc surdi properent, huc olfaciendi beneficio carentes
festinent, & qui gustandi, loquendi, tangendiq; nullam fa-
cultatem habent, ad istum perennem bonorum fontem ad-
volent. Nam qui capti sunt oculis, qui nulla lucis usura
fruu-

fruantur, qui nullum colorem interdium videre possunt, vel in densissimis noctis profundissimæ tenebris, nullius mortali-um ductu, per se, solique NIHIL videre, NIHIL spectare, NIHIL apertis luminibus contemplari facile possunt. Qui nec acutos, nec graves, nec suaves, nec insuaves, nec ullos prorsus sonos auribus recipiunt, atque sentiunt, quid illi audiunt? NIHIL. Quorum nares nullam odorum vel bonorum, vel malorum percipiendorum facultatem habent, illi profectò NIHIL olfaciunt, & tam eminus, quàm comminus NIHIL odorantur. Quorum palatum nullos sapes gustare, neque discrimen inter eos ullum statuere potest, illi NIHIL gustare possunt. Qui sunt elingues, nec ullas voces articulatas edunt, illi NIHIL expedite præferunt, quod ab aliis exaudiatur. Qui nullas habent manus, illi manibus NIHILprehendunt, atque corripunt. NIHIL enim, præter ipsum Omnipotentem Deum, cæcis, oculis, & visum, surdis, auditum, mutis, expeditam loquendi facultatem, olfaciendi nullam vim habentibus, olfactum, gustandi facultate carentibus, gustatum, omnis tactus exper- tibus, perfectam tangendi potestatem liberalissimè largitur. Quis acerbos capitis vino gravati dolores vitare cupit? Per totum diem, & per totam noctem (quod cum bona Bacchicolarum venia dicere liceat) is NIHIL bibat, is NIHIL exhauriat. Nullos enim vapores hinc manantes sentiet, qui caput infestent, vitamque molestant faciant. Quis fastidium, quod nimia ciborum copia parere solet, ab ore, à gutture, à stomacho, à ventre studet avertere? Is NIHIL edat, is NIHIL devoret. Sic enim voti facile fiet compos. Quis tutò per medios latrones iter facere vult? ille NIHIL habeat, quod secum manifestè ferat. Latrones enim pecuniam captant, eique struunt insidias: at illos, quos NIHIL habere sciunt, confestim humanissimè dimittunt. Tantâ

reverentiâ NIHLI Majestatem reverentur, Idcirco peritè
cecinit ille.

» *Cantabit vacuus coràm Latrone viator.*

Quid enim Vacuus hîc aliud significat, quam cum, qui
NIHL habet?

Hîc non satis mirari possum, tot, tantosq; Viros, qui sci-
entiæ gloria sunt celeberrimi, non solùm superioribus: Sed
etiam hoc nostro seculo, de Circuli Quadratura tantopere
laborasse & in ea describenda se graviter torsisse cum nullo,
vel saltem (ut ipsorum bonæ famæ consulatur) cum perexi-
guo Lectorum fructu. Verùm, si quis Archimedis qui hac
de re accuratissimè scripsit, libros temporis invidiâ nobis
præreptos jam haberet, is (nisi fallor) in eandem senten-
tiam nobiscum iret, ipsamq; Circuli Quadraturam (si quid
verisimilium conjecturarum autoritati tribuendum) sic per-
ficiendam pronuntiaret. Medicum autem loquendi genus
in his arcanis declarandis usurpare juvat. In ampla, pu-
raq; tabula NIHL à Mathematico peritè ponatur, & ad-
hibitis illis securiculis à Criticorum Coryphæo nuper divi-
nitùs excogitatis, quidquid Circuli Quadraturam impedit, id
undique resecetur. Resectis autem resecandis, factisq; fa-
ciendis, & peractis peragendis, sic ipsam Circuli Quadratu-
ram, omnibus numeris absolutam habebis. Vides ne (Lector
humane) quàm expeditam Circuli Quadraturam excel-
lens NIHLI notitia tibi suppeditet? Nunc aliam
NIHLI potestatem à communi mortalium opinione
remotissimam audiamus, quam non pauci Philosophi for-
tissimè tuentur, quum asseverant ex NIHILO omnia
oriri, ortaq; recidere in NIHL, ut primam originem
repetant, unde prodierunt. Cujus opinionis incompre-
hensam sententiam confirmant illi, qui arithmeticam
NIHLI naturam attentè sunt perscrutati. Nam (quod
mirabi-

mirabile quidem est: Sed tamen verissimum est) NI-
HIL in eodem statu semper manet, & quadratam fi-
guram refert, quæ semper est sui similis, in quancunque
artem ea volvatur. Addas NIHILO NIHIL, quid
inde resultabit? NIHIL. Ex NIHILO NIHIL
subducas, quid remanebit? NIHIL.

NIHIL in centum partes dividas, quas tribus ca-
pitibus distribuas, ut primo, viginti, secundo, triginta,
tertio, quinquaginta partes attribuas, tantundem habebit
primum caput, quantum reliqua duo, & reliqua duo non
plus habebunt, quàm primum. NIHIL enim divisum
manet integrum, ejusque natura, quam oculis nemo vi-
dere potest, manet inviolata. Quum enim omnia per-
eunt, NIHIL fugit interitum. Ideo, qui res omnes su-
perbè fastidiunt, qui cuncta fastidiosè contemnunt, illi
NIHIL suspiciunt, illi NIHIL admirantur, NIHIL
venerantur. Quamobrem in multis Potentissimorum, Prin-
cipum, & Regum Aulis multi dominantur, qui NIHILI
præstantia sunt insignes, ejusq; præclaram appellationem si-
bi gloriosè vendicant, & se palàm ab omnibus Homines NI-
HILI vocari, pro talibus haberi, claraq; voce salutari vo-
lunt. Sciunt enim homines isti, sciunt quanta sit NIHILI
virtus, excellentia, potestas. Quare pro viribus in illam præ-
cipuam curam continenter incumbunt, ut NIHIL ac-
quirant, unde laudem apud omnes sempiternam reportent.
Quinetiam rerum Dominis, sub quorum Clientela, tu-
toq; patrocinio beatè vivunt (ne per invidiam alios ea-
dem suorum Dominorum beneficentia privare videantur)
disertissimis verbis, non dubitanter, nec verecundè (tanta
est ipsorum charitas, qua commodis aliorum providere
student) suadent, atq; persuadent, ut optimis quibusque
Viris, & de literaria Repub. optimè quidem meritis: at

propter asperiorum temporum iniquitatem afflictis, & calamitosis, non splendida verba dent, quod plerique faciunt: Sed **NIHIL** regiè largiantur, eosq; **NIHILI** munere cohonestatos aliò celeriter amendant. Multorum igitur Principum, & Regum præclarum exemplum ego quoq; fideliter sequutus, Lectoribus, qui mea scripta perlegere non sunt gravati, pro benevolentia, quam in his alacriter perlegendis mihi præstiterunt, præter omnem felicitatem, quam ipsis à Deo diuturnam dari precor, & opto, præterea **NIHIL** in præsentia cum officiosa gratiarum actione dono.

FINIS,



z ca-
faci-
I L I
ulto
olum
ripta
n his
nem
e-



94 7 460

40

W 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

